

VIRO CLARISSIMO

D. CAROLO LINNÆO,

PROFESSORI BOTANICES UPSALIENSI DIGNISSIMO,

S. P. D.

BERNARDUS DE JUSSIEU.

PERQUAM mihi gratæ fuerunt litteræ* quas tradidit mihi illustris Baro D. de Schæffer, cognovi ab his quod mei apud te vigeat studii recordatio, et quod jucunda fuerint ea quæ olim miserim semina. Alterum accipies fasciculum eorum præsertim quæ a te desiderari significavit D. Bæck antequam redire in patriam cogitaret; hunc deferendum brevi curabit D. Cleberg, sed alium dispono quem secum asportabit et tibi meo nomine offeret illustris juvenis Comes de Spar. Ille mihi attulit binas dissertationes quæ sub tuis auspiciis propugnatae fuerunt, 1^{ma} de Fico,† 2^{da} de Betulâ nanâ.‡ Pro his gratias refero plurimas. Si quid novi in re herbariâ aut historiâ naturali prodeat, ignorare mene sinas; hæc res sunt tuæ, sunt meæ, deliciae. Peloriam § miratus sum, an sit Linariæ vulgaris metamorphosis transmutatio vel progenies definire arduum mihi videtur. Si monstrum, sata semina indicabunt. Vidi quondam lusum naturæ in floribus Linariæ, sed adeo regularem nusquam perspexeram; nectarium multiplex aderat quidem, seu calcaria duo tria et quatuor, nullo modo tamen limbus figurâ tam regulari gaudebat ut tua fert icon; insuper non omnes unius spicæ flores ita mutabantur. Ea quæ pollicris hujus semina maximâ cum voluptate accipiam. Circa Lithophyta et marinas vulgo plantas quæ te nunc credere scribis ea sententiam quam amplexus sum mire fulciunt; et tuæ observationes meis decus non leve adjicient et pondus. De Coralliis Balthicis dissertationem || quam propediem habere promittis, hanc avide expecto. Quod attinet ad methodum meam Vermium et Zoöphytorum, illa est potius tentamen quam perfecta distributio; gloriosum tamen duco quod hanc vestris Actis inserendam judicaveris; forsitan ad id faciendum impulit te amor in me tuus, cujus jam multa mihi exhibuisti testimonia. Unum inter præcipua est cum me Aca-

* Quæ desunt.

† *Dissertatio botanico-medica quâ Ficus ejusque Historia naturalis et medica exhibetur*; resp. Corn. He-gardt. Upsaliæ. 1744. Et in Amœn. Acad., Vol. I.

‡ *Dissertatio botanica de Betulâ nanâ*, resp. L. M. Klase. Stockholmæ. 1743. Et in Amœn. Acad., Vol. I.

§ *Dissertatio botanica de Peloriâ*, resp. Dan. Rudberg. Upsaliæ. 1744. Et in Amœn. Acad., Vol. I.

|| *Dissertationis de Coralliis Balticis*, resp. Henr. Foug: Caput prius de Coralliis in genere. Upsaliæ. 1745. Et in Amœn. Acad., Vol. I.